



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

§. 11. De Suffragiis communibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

sect. 5. c. 18. n. 7. in Ordine dignitatis Sanctos Veteri Testamento post Apostolos statim collocari, cum nullum hujus Prælationis fundamentum ex Rubricis habeatur, atque adeò meritò idem inter hos & Sanctos Novi Testamenti Ordo constituatur, qui inter alios Sanctos Novi Testamenti solet observari.

III. Modus Commemorationum requirit, ut primò recitetur Antiphona, & Versiculi ex Laudibus in Proprio Sanctorum, aut de Tempore, aut in Communi positus. Si autem hi Versiculi cum Antiphona jam dicti sunt propter simile Festum occurrens, tum pro Commemoratione sumenda est Antiphona cum Versiculis ex primis Vesperis; quòd si & hi jam dicti sint, tum Antiphona quidem sumenda est ex secundis Vesperis, Versiculi autem ex primo Nocturno, nisi & hi similes sint illis, qui jam priùs sunt dicti, tum enim ex secundo Nocturno sumendi erunt. Si verò, uti contingere potest, & quarta similis Commemoratio facienda est, tum pro Antiphona quidem sumenda est ea, quæ prima in primo Nocturno ponitur, pro Versu verò is, qui in Nocturnis positus, & necdum pro Commemoratione dictus est, uti Gavantus s. 3. c. 11. n. 30. & Arnaudus p. 1. tit. 9. n. 27. volunt. Antiphonæ ad *Benedictus* de communi Confessorum Pontificum, & non Pontificum sunt diversæ saltem in fine, atque adeò utraque pro eodem Officio servire poterit. Tam Versiculis his, quàm Antiphonæ tempore Paschali additur Alleluja. Secundò, ut oratio recitetur vel ex Proprio Sanctorum, vel de Tempore, vel de Communi Sanctorum. Inchoatur semper ab *Oramus*, non autem clauditur per clausulam ordinariam, nisi sit ultima.

§. XI.

De Suffragijs Communibus.

I. **D**icuntur hæc Suffragia communia, quia plurimis diebus fieri solent, nimirum quodocunque non est Duplex, aut dies infra Octavam, aut dies intra Adventum, aut intra Dominicam Passionis, & SS. TRINITATIS occurrens. Omittuntur etiam, quando dies Octava cadit in Dominicam privilegiatam: licet de Octava eo casu tantùm fiat Commemoratio. Gavant. sect. 3. c. 8. n. 13.

Instruct. II.

C

II. Or-

II. Ordo Suffragiorum hic observatur. Prima est de Cruce, (siquidem de hac facienda sit Commemoratio propter Feriam) quæ semper omnibus præponitur, etiam Commemorationi de ipsa SS. TRINITATE. Altera est de B. Virgine, si quidem de ea Officium non fiat, aut Officium parvum in Choro non recitetur, in hoc enim gemino casu non fit Commemoratio, nisi B. Virgo sit Patrona Ecclesiæ, uti Gavantus *sect. 5. c. 18. n. 3.* decisum esse à S. Congregatione testatur, dum ait: *De S. MARIA non fit (Commemoratio in Suffragijs) nisi in propria Ecclesia tanquam de Titulari ex decreto S. Congregationis Rituum 10. Ian. 1764. quando dicitur eiusdem Officium parvum in Choro.* Quod ideo fortassis decretum est, ut nunquam omitti debeat Commemoratio Titularis Sancti in ipso Officio. Unde etsi idem Gavantus mox addat, non decere, ut de eodem fiat simul Officium & Commemoratio (ob quam causam Arnaudus tr. 2. tit. 15. putat, nec in propria etiam Ecclesia faciendam esse Commemorationem, quando parvum Officium dicitur) id tamen ita intelligendum est, ut in illo duntaxat casu, quo B. Virgo Titularis non est, locum habeat; alioqui enim decretum S. Congregationis prorsus supervacaneum esset, cum ex Rubricis tit. 35. n. 4. sat clarum fuisset, de B. Virgine Commemorationem fieri non debere, quando ejus Officium parvum dicitur. Tertia est de SS. Apostolis Petro & Paulo, ultima de Pace. Et hæc quidem Commemorationes modo prædicto fiunt in omnibus Ecclesijs, quibus tamen pro diversitate locorum inferuntur duæ Commemorationes, una de Patrono Diocesis, & altera de Patrono Titulari Ecclesiæ, & ponuntur eo loco inter has Commemorationes, quem dignitas earum requirit, uti supra de Commemorationibus specialibus dictum est. Notat tamen Gavantus, si Ecclesia sit S. Salvatori dicata, eo tempore, quo de Cruce fit Commemoratio, non esse faciendam Commemorationem de Salvatore, eo quod hæc duæ Commemorationes æquipolleant inter se.

III. Dubitârunt nonnulli, an si in Diocesi Augustana Beneficiatus aut Parochus aliquis pro Titulari suæ Ecclesiæ aut Capellæ S. Apostolum Andream v. g. habeat, de hoc primum post SS. Udalricum & Afram Commemorationem facere debeat? Ratio dubitandi ex Proprio Diocesis Augustanz